

PONTIFICIUM CONSLIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS  
INTERPRETANDIS

# COMMUNICATIONES

VOL. XXIV - N. 2

---

1992

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIU M  
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1992

Sped. Abb. Postale - gruppo IV - 70%

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Constitutio Apostolica «Fidei Depositum» qua Catholicae Ecclesiae Catechismus post concilium oecumenicum Vaticanum II instauratus publici iuris fit . . . . .	191
Litterae apostolicae motu proprio datae de Pensionibus denuo ordinandis . . . . .	191

## ACTA CONSILII

Praecipuorum actorum conspectus . . . . .	196
---	-----

## EX ACTIS SANCTAE SEDIS

### SECRETARIA STATUS

Rescriptum ex Audientia Ss.mi quoad transitum Christifidelis Ecclesiae Latinae ad aliam Ecclesiam ritualem sui iuris . . . . .	200
--	-----

### SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Responsio in casu particulari seu «in re peculiari» ad propositum quae situm de statu libero nupturientium . . . . .	
--	--

### PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Dubium . . . . .	203
------------------	-----

## EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studii «De sacra Hierarchy» (olim «De Clericis» (Sessio X) . . . . .	204
II. Coetus studii «De sacra Hierarchy» (olim «De Clericis» (Sessio XI) . . . . .	249
III. Coetus studii «De sacra Hierarchy» (olim «De Clericis» (Sessio XII) . . . . .	265
VI. Coetus studii «De sacra Hierarchy» (olim «De Clericis» (Sessio XIII) . . . . .	300

Opera a Consilii Bibliotheca recepta . . . . .	351
--	-----

Notitiae . . . . .	353
--------------------	-----

III

COETUS STUDII  
«DE SACRA HIERARCHIA»

Sessio XII  
(dd. 11-16 decembris 1972 habita)

Diebus 11-16 decembris 1972, in Aula huius Pontificiae Commissionis Consultores convenerunt coetus studii «De Sacra Hierarchia», sub moderamine Rev.mi Onclin, Secretarii adjuncti Commissionis. Conventibus intererant Exc.mi sex et Rev.mi quattuor Consultores atque Rev.mus Heranz, a studiis Commissionis, qui munere actuarii functus est. Aberant Exc.mus unus, atque Rev.mi duo Consultores.

Rev.mus Secretarius Ad. omnibus salutem dicit, nomine etiam Em.mi Cardinalis Praesidis Commissionis gratiasque refert ob eorum actuosam cooperationem in laboribus. Dein incipit disceptatio de diversis quaestibnibus quae hac in Sessione pertractandae sunt.

I. RECOGNITIO SCHEMATICIS DE SYNODO DIOECESANA

Hi canones iam apparati sunt in praecedenti Sessione; attamen quae-dam proponuntur emendationes ad eosdem perficiendos.

*Ad Can. 3 § 1:* Rev.mus Secretarius Ad. suggerit ut ita compleatur tex-tus: «Synodus dioecesanam convocat solus Episcopus dioecesanus, non autem *qui ad interim dioecesi praesunt, administrator apostolicus aut administrator dioecesanus de quibus in Can. ... (de sede vacante) ».*

Animadvertisunt Exc.mi primus et secundus Consultores Administratores apostolicos quandoque esse permanentes. Respondeat Rev.mus Secretarius Ad. hoc in casu ipsos posse Synodum dioecesanam convocare; hic vero tantum agitur de his qui «ad interim» dioecesim regunt.

*Ad Can. 4 § 1:* Proponit Exc.mus secundus Consultor ut nn. 5 et 6 po-nantur ante n. 3, ratione personarum dignitaris. Aliis vero Consultoribus magis placet ut textus maneat sicuti est, quia – uti animadvertisit Rev.mus tertius Consultor – sub respectu functionis maiore gaudent praesentia membra Consilii presbyteralis, inter quae de cetero adnumerandi videntur Rector seminarii dioecesani maioris atque Vicarii foranei.

*Ad Can. 4 § 1, n. 8:* Rev.mus quartus Consultor notat expressionem «iure particulari determinatis» esse aequivocam, quia ipsa potest intellegi

ac si determinatio facienda sit in iure particulari Institutorum perfectionis. Animadversio ceteris Consultoribus placet ideoque textus ita emendatur: «Aliqui Moderatores Institutorum perfectionis, sive virorum sive mulierum, quae in dioecesi domum habent, eligendi numero et modo «*ab Episcoporum Conferentia aut ab Episcopo dioecesano determinatis*».

*Ad Can. 8:* Rev.mus tertius Consultor censet quamdam difficultatem terminologicam adesse in verbis «voto tantummodo consultivo gaudientibus». Synodus utique votum tantum consultivum habet, sed membra Synodi quae concurrunt ad hoc votum efformandum agere debent per modum suffragii. Hoc est verum – respondet Rev.mus Secretarius Ad. sed dici non potest membra Synodi votum deliberativum habere ad votum consultivum efformandum: hoc esset nimis speciosum et norma difficile intelligeretur. Accedit Rev.mus tertius Consultor et textus manet uti est.

*Ad Can. 9:* Placet ut, claritatis causa, sequens fiat additio: «Quae modo in Synodo dioecesana *determinato* promulgantur decreta...».

Nulla alia proponitur animadversio, ideoque schema canonum «De Synodo dioecesana» probatur uti prostat in Adnexo I huius Relationis conclusivae.

## II. SCHEMA PROPONITUR CANONUM «DE PATRIARCHIS, PRIMATIBUS ET METROPOLITIS»

Attentis his quae in praecedenti sessione a Consultoribus exposita sunt, Rev.mus Secretarius Ad. adumbratum schema canonum apparavit. Animadvertisit Rev.mus de hac materia sicut de aliis, ex. gr. de Ecclesiis particularibus aliisque circumscriptionibus ipsis iure aequiparatis, plura haberi in CIC anni 1918, quae hodie vel non videntur necessaria vel magis praestat, ratione principii subsidiarietatis, ut ad ius particulare remittantur. Canones ergo qui proponuntur de Patriarchis, Primatibus et Metropolitis sunt sequentes:

*Can. I* (CIC 271)

«Patriarchae et Primatis titulus, praeter praerogativam honoris, nullam in Ecclesia latina secumfert regiminis potestatem, nisi quaedam iure particulari cum aliquo connexa sit».

Nulla fit animadversio. Ponitur tantum a Rev.mo tertio Consultore quaestio de loco ubi hic ceterique canones huius schematis includendi

sunt. Proponente Rev.mo Secretario Ad. sequens ordo systematicus recipitur:

- de Patriarchis, ubi De Episcopis in genere;
- de Primatibus, ubi De regionibus ecclesiasticis;
- de Metropolitis, ubi de provinciis ecclesiasticis.

*Can. 2 (CIC 272)*

« Provinciae ecclesiasticae praeest Metropolita, qui est archiepiscopus dioecesis cui praeficitur; quod officium cum sede episcopali a Romano Pontifice determinata aut saltem probata coniunctum est ».

Difficultatem movet Rev.mus tertius Consultor quoad expressionem « saltem probata », quae non videtur satis clara. Huic animadversioni et alii Consultores accedunt. Quapropter Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut ita emendetur textus: « ...cum sede episcopali, *Romano Pontifice determinante aut probante*, coniunctum est ».

Emendatio haec omnibus placet.

*Can. 3 (CIC 274)*

« § 1. In dioecesibus suffraganeis Metropolitae competit:

1° vigilare ut fides et disciplina ecclesiastica accurate serventur, et de abusibus, si qui habeantur, Romanum Pontificem certiores facere;

2° canonicam visitationem peragere, causa prius ab Apostolica Sede probata, si eam Suffraganeus neglexerit;

3° eos qui ad normam iuris ad officia ecclesiastica praesentantur aut eliguntur instituere, si Suffraganeus intra tempus iure statutum, iusto impedimento non detentus, id facere omiserit;

4° deputare administratorem dioecesanum, ad normam can. 9 § 2 (de sede vacante; CIC 432, § 2);

5° appellationem recipere a sententiis definitivis aut interlocutoriis definitivarum vim habentibus, prolatis in curiis suffraganeis, ad normam can. 1594, § 1;

6° controversias de quibus in can. 1572, § 2, in prima instantia dirimere.

§ 2. Firmis praescriptis § 1, nulla in dioecesibus suffraganeis competit Metropolitae potestas regiminis; potest vero in omnibus ecclesiis, etiam exemptis, Episcopo dioecesano praemonito, si ecclesia sit cathedralis, sacras exercere functiones, uti Episcopus in propria dioecesi ».

§ 1, 1° omnibus placet uti est.

Ad § 1, 2°: proponit Exc.mus secundus Consultor ut ita compleatur textus: «canonicam visitationem peragere, sive per se sive per alium ». Respondent tamen Rev.mi Secretarius Ad. et tertius Consultor hoc non esse necessarium, quia consequitur ex dictis in canonibus iam probatis de visitatione.

Ad mentem Rev.mi quinti Consultoris melius esset, si statueretur visitationem semper faciendam esse ab ipso Metropolita, ad vitandas possibles odiositates. Facta tamen suffragatione maiori parti Consultorum placet ut textus maneat sicuti est.

Ad § 1, 3°: suggerit Rev.mus Secretarius Ad. et ab aliis recipitur, ut textus ita compleatur: « ... instituere *aut confirmare*, si... ».

Nulla alia animadversio fit, ideoque formula can. 3 probatur cum praedicta emendatione.

#### *Can. 4 (CIC 275)*

«§ 1. Metropolita obligatione tenetur, intra tres menses a recepta consecratione episcopali, aut, si iam consecratus fuerit, a provisione canonica in Consistorio, per se aut per procuratorem a Romano Pontifice petendi pallium, quo quidem significatur provinciae cui praeest cum Ecclesia Romana, communio necnon potestas qua Metropolita in provincia iure instruitur».

«§ 2. Ante pallii impositionem, excluso speciali indulto apostolico, Metropolita illicite ponit actus tum potestatis regiminis metropolitanae tum ordinis episcopalnis in quibus, ad normam legum liturgicarum, usus pallii requiritur».

Ad § 1: animadvertisit Rev.mus quartus Consultor provisionem canoniam fieri posse etiam extra Consistorium, ergo expungenda videntur verba «in Consistorio ». Proposito omnibus placet.

Parva dein discussio fit circa pallii significationem, intervenientibus praesertim Rev.mo tertio Consultore (pro quo ex libris liturgicis pallium primarie significat specialem communionem provinciae ecclesiasticae cum Sancta Sede), atque Rev.mo quinto Consultore (pro quo ex rationibus historicis pallium primarie significat potestatem superiorem quam Metropolita habet). In fine discussionis Rev.mus Secretarius Ad. proponit, et omnibus placet, ut textus ita emendetur: «...quo quidem significatur *potestas qua, in communione cum Ecclesia Romana, Metropolita in propria provincia iure instruitur*».

Ad § 2: animadvertisit Exc.mus secundus Consultor quod hodie non bene intellegatur quare potestas Metropolitae pendere debeat a possessione pallii, quod est tantum obiectum vel instrumentum quoddam. Respondebat Rev.mus Secretarius Ad. impositionem pallii esse tantum condicionem ad liceitatem actuum, non vero ad validitatem; praeterea – ait Rev.mus – oportet ut serventur in vita iureque Ecclesiae – uti saepe immo frequentius evenit in vita iureque societatis civilis – quaedam insignia vel signa, quae quidem proprium sensum habent.

Quaerit denique Rev.mus tertius Consultor ut distinctio fiat inter: *a)* functiones quae requirunt potestatem metropolitanam et *b)* functiones quae tantum requirunt potestatem episcopalem; primae licite peragi non possunt ante pallii impositionem, secundae vero licite peragi possunt a Metropolita in propria dioecesi, etiam ante pallii impositionem. Huic animadversioni alii accedunt Consultores, quapropter Rev.mus Secretarius Ad. hanc proponit emendationem ad tollendas difficultates:

«Ante pallii impositionem, excluso speciali indulto apostolico, Metropolita illicite ponit actus tum potestatis regiminis metropolitanae tum ordinis episcopalium, *quos ut caput provinciae exercet*» (cetera cadunt).

Facta suffragatione hic textus omnibus placet.

#### Can. 5 (CIC 277)

«Metropolita, ad normam legum liturgicarum, pallio uti potest intra quamlibet ecclesiam, etiam exemptam, provinciae ecclesiasticae cui praeest, minime vero extra eandem, ne accidente quidem loci Ordinarii assensu».

Nulla fit animadversio ideoque textus probatur uti iacet.

#### Can. 6 (CIC 278)

«Metropolita, si pallium amittat aut ad aliam sedem metropolitanam transferatur, novo indiget pallio».

Etiam hic canon probatur uti propositus est.

Ita expleta disceptatione de canonibus huius schematis (ex manet probatum uti prostat in Adnexo II), Rev.mus Secretarius Ad. ex adstantibus quaerit utrum approbent necne Relationem conclusivam praecedentis sessionis studii. Nulla fit animadversio et Relatio suffragatione probatur.

**III. SCHEMA PROPONITUR CANONUM  
«DE SYNODO EPISCOPORUM»**

Rev. mus Secretarius Ad. sequentes formulas canonum apparavit, attentis his quae in praecedenti sessione a Consultoribus exposita et discussa fuerunt.

*Can. 1*

«§ 1. Synodus Episcoporum, institutum quidem in Ecclesia centrale et permanens, coetus est Episcoporum qui, ex diversis orbis regionibus selecti et omnium Ecclesiarum particularium sollicitudinem gerentes, statutis temporibus convenient ut, communi cum Romano Pontifice consilio eidemque adiutricem operam praestantes, incolumenti incrementoque fidei provideant atque maioribus Ecclesiae universae necessitatibus prospiciant.

§ 2. Synodus Episcoporum id praecipue intendit ut proprietor quidem notitia circa quaestiones diversarum Ecclesiarum vitam internam actionemque in mundo spectantes habeatur, ut, earundem diversitate conditio-  
num attenta, concors omnium quoad essentialia doctrinae capita sententia obtineatur, utque per arctiorem inter Romanum Pontificem et Episcopos, immo et Episcoporum inter se, coniunctionem adiutricemque operam, universae Ecclesiae bono aptius consulatur ».

Quaerit Rev.mus quintus Consultor ut in § 1 dicatur scopum Synodi Episcoporum esse quoque vitam christianam promovere atque disciplinam ecclesiasticam tueri. Huic animadversioni accedunt Rev.mus sextus et alii Consultores; proponente Exc.mo septimo Consultore sequens probatur formula: «incolumenti incrementoque fidei ac morum provideant, disciplinae ecclesiasticae servanda et firmando prospiciant... ».

Parva dein fit discussio utrum servandum sit necne verbum «provideant» (§ 1, lin. 6), quod intelligi forsan potest aequivoco modo. Animadvertisit tamen Rev.mus sextus Consultor Synodum Episcoporum per consilia providere, ideoque verbum «provideant» servari potest si iam in hoc can. 1 haec functio consultiva clariore modo innuatur.

His dictis accedunt Rev.mi tertius et quintus Consultores, qui simul notant functiones Synodi Episcoporum per multa verba enuntiari sive in § 2 can. 1 sive in can. 5 schematis. Quapropter forsan oportet ut § 1 can. 1 compleatur atque deleatur § 2, dum can. 5 fieri potest can. 2. Propositio omnibus placet.

Ad § 1: animadvertisit Exc.mus secundus Consultor deleri posse verba «in Ecclesia», quae non videntur necessaria, dum Rev. mus tertius Consul-

tor quaerit ut expungatur quoque verbum «permanens»: hoc verbum – ait Rev.mus – tantum significat quod Synodus Episcoporum est institutum a Romano Pontifice lege constitutum; agitur ergo de permanentia quae pariter convenit omnibus institutionibus per leges conditis (ex. gr. dioecesisibus, paroeciis, capitulis, etc.) et tamen non de omnibus dicitur.

His quae prolatas sunt prae oculis habitis, Rev.mus Secretarius Ad. sequentem proponit textum emendatum canonis 1:

«Synodus Episcoporum, institutum quidem centrale, coetus est Episcoporum qui, ex diversis orbis regionibus selecti et omnium Ecclesiarum particularium sollicitudinem gerentes, arctius inter se atque cum Romano Pontifice coniuncti, statutis temporibus convenienti ut eidem consiliis prae aliis adiutricem operam praestantes, incolumitati incrementoque fidei et morum provideant disciplinae ecclesiasticae servanda et firmando prospiciant, atque quaestiones ad actionem Ecclesiae in mundo spectantes perpendant».

Facta suffragatione hic textus unanimiter approbatur.

*Can. 2 (prius can. 5 schematis)*

«Synodi Episcoporum est de quaestionibus pertractandis disceptare atque expromere optata, non vero easdem dirimere de iisque ferre decreta, nisi certis in casibus potestate deliberativa eandem instruxerit Romanus Pontifex atque quae ab eadem sunt admissa rata habuerit».

Nulla fit animadversio, ideoque textus ab omnibus recipitur uti propositus est.

*Can. 3 (prius can. 2)*

«Synodus Episcoporum directe subest auctoritati Romani Pontificis, cuius quidem est:

1º Synodi coetus convocare, quotiescumque id ipsi opportunum visum erit, locumque designare ubi habendi sint;

2º membrorum qui ad normam iuris peculiaris eligendi sunt electio-  
nem ratam habere aliosque sodales designare et nominare;

3º argumenta quaestionum pertractandarum, habita quidem Episcopo-  
rum observationum ratione, statuere, sex menses, si fieri possit, ante Syno-  
di celebrationem;

4º rerum agendarum ordinem statuere;

5º Synodo per se aut per alios praeesse;

6º Synodum ipsam transferre, suspendere et dissolvere».

Ad n. 1, proponit Rev.mus tertius Consultor, et placet, ut loco «Synodi coetus» dicatur «Synodus», utque loco «ubi habendi sint» dicatur «ubi coetus habendi sint».

Ad n. 2, ipse Rev.mus suggerit, et accipitur, ut loco «membrorum quae» ponatur «sodalium qui».

Ad n. 3, ponitur quaestio utrum verba «habita quidem Episcoporum observationum ratione» nimis obligatoria videantur necne. Evidenter Romanus Pontifex non ligatur observationibus Episcoporum, etiamsi rationem de eisdem pro suo iudicio habeat. Rev.mus Secretarius Ad. proponit, quod omnibus placet, ut dicatur: «habita *etiam* Episcoporum observationum ratione».

Quoad verba «sex menses, si fieri possit, ante Synodi celebrationem», Exc. mi septimus et secundus Consultores atque Rev.mus sextus Consultor animadvertisunt prudentius esse, habita quidem experientiae ratione, ut haec norma Ordini Synodi remittatur. Fit parva discussio, cuius in fine approbatur, proponente Exc.mo primo Consultore sequens textus emendatus: «...opportuno ad normam iuris peculiaris ante Synodi celebrationem tempore».

Ad n. 4, Rev.mus Secretarius Ad. proponit, et placet, ut loco «statuere» dicatur «definire».

Ad n. 5, nulla fit animadversio.

Ad n. 6, Rev.mus tertius Consultor suggerit ut dicatur:

«Synodus ipsam *concludere*, transferre, suspendere et dissolvere».

Propositio placet.

Textus ergo huius can. 3, suffragatione facta, probatur cum praedictis emendationibus.

#### *Can. 4 (prius can. 3)*

«Synodus Episcoporum congregari potest aut in coetum generalem, in quo scilicet res tractantur ad bonum Ecclesiae universae directe spectantes, qui quidem coetus est sive ordinarius sive extraordinarius, aut etiam in coetum speciale, in quo nempe aguntur negotia quae directe ad determinatam determinatasve regiones attinent».

Nulla proponitur emendatio, ideoque textus recipitur uti iacet.

#### *Can. 5 (prius can. 4)*

«§ 1. Synodus Episcoporum quae in coetum generalem sive ordinarium sive extraordinarium congregatur, constat sodalibus, quorum plerique

sunt Episcopi singulis pro coetibus ab Episcoporum Conferentiis, ratione legum peculiarum determinata, electi, alii vi ipsius iuris deputantur, alii a Romano Pontifice directe nominantur; quibus accedunt aliqui viri religiosi, partes agentes Institutorum religiosorum clericalium, ab Unione Romana Superiorum Generalium electi, ad normam iuris.

§ 2. Synodus Episcoporum quae in coetum specialem congregatur, constat sodalibus ex iis regionibus pro quibus convocata est delectis, ad normam legum peculiarium quae Synodum regunt».

Ad mentem Rev.mi tertii Consultoris enumerari oporteret hoc in canone omnes qui partem habere debent in diversis Synodi Episcoporum coetibus, ordinariis nempe, extraordinariis et specialibus, quia haec videtur norma constitutiva. Alii tamen Consultores, inter quos Exc. mus primus Consultor, contrariam tenent sententiam quia censem determinationes particulares huius generis aptius ponendas esse in Ordine Synodi.

Rev.mus Secretarius Ad. suffragationi submittit sequentem triplicem possibilitatem:

- A) Enumerare omnes qui partem habere debent in diversis coetibus;
- B) Servare criterium in formula canonis adhibitum, ad distinguendas praesertim diversas species coetuum;
- C) Remittere omnia ad ius peculiare Synodi.

Suffragatione facta, magis placet possilitas posita sub B, sed simul probatur claritatis causa ut non duo sed tres habeantur paragraphi.

His omnibus perpensis, Rev.mus Secretarius Ad. novam formulam canonis proponit, quae ita sonat: «§ 1. Synodus Episcoporum quae in coetum generalem ordinarium congregatur, constat sodalibus, quorum plerique Episcopi, qui singulis pro coetibus ab Episcoporum Conferentiis, ratione iuris peculiaris Synodum regentis determinata, eliguntur, alii vi eiusdem iuris deputantur, alii a Romano Pontifice directe nominantur; quibus accedunt aliqui sodales Institutorum perfectionis clericalium, ad normam eiusdem iuris electi.

§ 2. Synodus Episcoporum, quae ad tractanda quae expeditam requirunt definitionem negotia in coetum generale extraordinarium congregatur, constat sodalibus quorum plerique Episcopi, officii quod adimplent ratione, iure peculiari Synodum regente deputantur, alii vero a Romano Pontifice directe nominantur; quibus accedunt aliqui sodales Institutorum perfectionis clericalium ad normam eiusdem iuris electi.

§ 3. Synodus Episcoporum quae in coetum specialem congregatur, constat sodalibus ex iis regionibus pro quibus convocata est delectis, ad normam iuris particularis quo Synodus regitur».

Hic textus omnibus placet, cum sequentibus tamen emendationibus ab Exc.mo primo Consultore propositis: *a)* in § 2 dicatur, brevitatis causa: «*Synodus Episcoporum, ad tractanda quae expeditam requirunt definitio- nem negotia in coetum generalem extraordinarium congregata, constat...*»; *b)* aptius dicatur in § 3: «*praecipue ex iis regionibus...*», quia speciali ratio- ne (ex. gr. ratione particularis competentiae) aliae quoque personae elegi possunt, etiamsi sint ex alia regione.

Exc.mus octavus Consultor postulat ut etiam de peritis sermo fiat in hoc canone, vel in novo canone exarando. Huic sententiae accedunt Rev.mi Secretarius Ad., tertius ac quartus Consultores. Alii vero Consulto- res inter quos Exc.mi nonus et primus, censem hanc quaestionem in Ordine Synodi aptius esse tractandam.

Fit ergo suffragatio utrum placeat necne ut de peritis agatur in CIC. En exitus suffragationis:

Placet: 4

Non placet: 8.

#### *Can. 6*

«§ 1. Concluditur Synodi Episcoporum coetus absolutis argumentis ad quae tractanda convocatus est, itemque id statuente Romano Pontifice; eodem concluso, explicit munus in eodem commissum Episcopis aliisve sodalibus.

§ 2. Sede Apostolica, post convocatam Synodum aut eius celebratione durante, vacante, ipso iure suspenditur Synodi coetus, donec novus Ponti- fex ipsum continuari decreverit aut novum coetum convocaverit».

Quoad § 1 animadvertisit Rev.mus tertius Consultor semper Romanum Pontificem concludere Synodum, cum absoluta sint argumenta tractanda vel ob aliam rationem. Hoc ultimo in casu agitur de dissolutione Synodi, non vero de conclusione. His dictis accedunt alii Consultores, inter quos Rev.mi quintus et sextus, qui censem § 1 aptius esse incipiendum per verba: «*Cum Synodi Episcoporum concludatur...*».

Aliae emendationes claritatis causa proponuntur a Rev.mo Secretario Ad. qui sequentem novam redactionem suggerit:

§ 1. Cum Synodi Episcoporum coetus a Romano Pontifice concluda- tur, absolutis nempe argumentis ad quae tractanda convocatus est, aut alia ratione ab eodem dissolvatur, explicit munus in eodem Episcopis aliisque sodalibus commissum.

§ 2. Sede Apostolica, post convocatam Synodum aut eius celebratione durante, vacante, ipso iure suspenditur Synodi coetus, itemque munus so-

dalibus in eodem commisum, donec novus Pontifex aut coetum dissolutum statuerit aut ipsum continuari decreverit aut novum coetum convocaverit».

Facta suffragatione, hic textus ab omnibus probatur.

*Can. 7*

«§ 1. Synodi Episcoporum habetur Secretaria generalis permanens, cui praeest Secretarius generalis, a Romano Pontifice nominatus, cuique praefato est Consilium Secretariae, constans Episcopis, quorum alii, ad normam legum particularium, ab ipsa Synodo Episcoporum eliguntur, alii aliqui a Romano Pontifice designantur, quorum vero omnium munus explicit cum novum Consilium in sequenti generali coetu constituitur.

§ 2. Pro quolibet Synodi Episcoporum coetu praeterea constituuntur unus aut plures secretarii speciales, qui a Romano Pontifice nominantur, qui autem in officio ipsis commisso tantum permanent usque ad expletum Synodi coetum».

Ad § 1 proponit Rev.mus Secretarius Ad., et placet, ut loco «ad normam legum particularium» dicatur «ad normam iuris peculiaris». Placet quoque, proponente Rev.mo quarto Consultore, ut loco «designantur» dicatur «nominantur», quod iuridice magis convenit.

Nulla fit animadversio ad § 2. Textus ergo huius canonis approbatur cum supradictis emendationibus.

Ita expletur examen schematis canonum «De Synodo Episcoporum», quod manet probatum uti prostat in Adnexo III huius Relationis conclusiae.

IV. RECOGNITIO CANONUM DE CLERICORUM  
ADSCRIPTIONE SEU INCARDINATIONE DEQUE IURIBUS  
ET OBLIGATIONIBUS CLERICORUM

A) DE CLERICORUM ADSCRIPTIONE SEU INCARDINATIONE

*Can. 1*

Nulla fit animadversio ad § 1.

Ad § 2, censem Rev.mus Secretarius Ad. expressionem «Ecclesia particularis» stricto sensu applicari tantum posse dioecesi territoriali vel personali, ubi nempe Pastor proprius est Episcopus, qui cum cooperatione

Presbyterii portionem Populi Dei sibi commissam regit. Aliae vero structurae iurisdictionales de quibus in canone Ecclesiae particulari aequiparantur.

Contrariam sententiam tenet Rev.mus tertius Consultor, qui animadvertisit dioecesim esse formam ordinariam Ecclesiae particularis, sed sunt etiam aliae formae. Magis tamen placet Consultoribus sententia Rev.mi Secretari Ad. qui hanc emendationem proponit: « Nomine Ecclesiae particularis intelligitur dioecesis, cui aequiparantur praelatura et abbatia nullius, praefectura et vicaria apostolica necnon administratio apostolica stabiliter erecta ».

Placet etiam, proponente Exc.mo octavo Consultore, ut loco « praefectura et vicaria apostolica » dicatur « vicarius et praefectura apostolica ».

Attentis emendationibus in § 2 introductis, in § 3 haec fit additio: « aequiparatur quoque praelatura... ».

#### *Can. 2*

Prae oculis habitis Litteris Apostolicis Motu pr. datis *Ministeria quae-dam et Ad. pascendum*, ita emendantur paragraphi 1 et 2, in initio: § 1. « Per receptum diaconatum... »; § 2 « Item per receptum diaconatum.... ».

#### *Cann. 3-4*

Nulla fit emendatio.

#### *Can. 5*

Proponentibus Exc.mo secundo et Rev.mo tertio Consultoribus placet ut in § 4 dicatur « regionis » loco « Nationis ».

#### *Can. 6*

Exc.mus secundus Consultor suggesterit sequentem emendationem, ut redactio fiat tenoris magis positivi: « Excardinatio licite concedi potest iustis tantum de causis... ». Propositio placet. Deinde textus fit: « ...aut bonum ipsius clerici; denegari autem non potest... ».

Recipitur quoque, claritatis causa, sequens emendatio a Cardinali Praeside proposita: « ...causis; licet tamen clerico, qui se gravatum censuerit et Episcopum receptorem... ».

#### *Can. 7*

Nulla fit animadversio.

*Can. 8*

Rev.mus Secretarius Ad. proponit emendationes sequentes: *a)* in lin. 4 dicatur «Administrator dioecesanus» loco «Vicarius capitularis»; *b)* in lin. 5 ponatur «cum consensu Coetus Consultorum de quo in can...» loco «cum consensu Capituli». Propositiones recipiuntur.

## B) DE CLERICORUM OBLIGATIONIBUS ET IURIBUS

*Can. 1 (CIC 118)*

Proponente Rev.mo Secretario Ad. placet ut dicatur «potestas regimini ecclesiastici» loco «potestas iurisdictionis ecclesiasticae».

*Can. 2 (novus)*

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut, suppressa § 1, ita emendetur § 2 quae erit textus unicus: «Clerici, *utpote Episcopi cooperatores*, verificatis conditionibus iure requisitis, ius habent ad obtinendum *officium ecclesiasticum*». Recipitur emendatio.

Ad mentem Rev.mi quarti Consultoris mutandus est ordo canonum huius tituli, ita ut ex.gr. huic can. 2 anteponantur qui nunc sunt cann. 22 et 24. Animadversio ceteris Consultoribus placet, sed de ordine canonum videndum est postea.

*Can. 3 (novus)*

Em.mo Cardinali Praesidi magis placeret si loco «ius est» alia expressio adhibeatur, ita ut Episcopi iura clericorum servent sed attentis necessitatibus diocesis et animarum bono. Consultores accedunt. Quare Rev.mus Secretarius Ad. sequentem proponit textum emendatum qui recipitur:

«Curent Ordinarii ut clericis preabeatur tempus necessarium ut frui valeant mediis ad vitam supernaturalem fovendam aptis utque vacare possint studiis scientiarum, praesertim sacrarum, quatenus ad ministerium suum debite adimplendum requiratur».

*Can. 4 (novus)*

Nulla emendatio proponitur.

*Can. 5 (novus)*

Placet ut dicatur «Clericis competit» loco «Clericis ius est».

*Can. 6 (novus)*

Censem Exc.mus secundus Consultor distinctionem esse innuendam in textu § 1 inter exercitium ministerii ecclesiastici et retributionem oeconomicae clericorum.

Alia vero ex parte a quibusdam aliis Consultoribus notatur huiusmodi retributionem non esse quidem simoniam, quia hic agitur de iure ad congruam sustentationem sacrorum ministrorum (Rev.mus tertius Consultor); immo quaestio apte et caute solvenda est, ne tendentia quorundam presbyterorum foveatur obtinendi media oeconomica necessaria ex operibus saecularibus, quod certo certius foveret motum s.d. saecularisationis vel laicisationis sacrorum ministrorum (Exc.mus nonus et Rev.mus sextus Consultores).

His omnibus attentis, Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur: § 1: «*Clerici, cum ministerio ecclesiastico se dedicent, remunerationem suae conditioni congruam recipere debent, ratione habita tum ipsius muneris naturae tum locorum temporumque conditionum, quaque possint...*».

Placet emendatio, et etiam recipitur ut § 2 ita redigatur:

«*Item providendum est eorum congruenti praecaventiae et adsistentiae sanitariae, atque prospiciendum suae sustentationi, si infirmitate, invaliditate aut senectute laborant...*».

Proponitur deinde quaestio de diaconorum sustentatione, attento Motu pr. *Sacrum Diaconatus Ordinem*, nn. 19-21.

Proponente Rev.mo Secretario Ad. placet ut § 3 redigatur huius tenoris: «*Diaconi uxorati qui plene ministerio ecclesiastico sese devovent remunerationem recipient qua sui suaequae familiae sustentationi providere valent; qui vero professionem exercent civilem ex perceptis inde fructibus sibi suaequae familiae necessitatibus, quantum fieri possit, consulant...*».

*Can. 7 (novus)*

Cadit, quia ius recurrendi est ius fundamentale, ideoque valet pro omnibus christifidelibus, sive clericis sive laicis.

*Cann. 8-9 (CIC, 124-125)*

Suggerit Exc.mus nonus Consultor ut unicus fiat canon (qui erit can. 7) ex his duobus, quia eadem est materia quae tractatur. Propositio aliis Consultoribus placet.

Proponente Rev.mo quinto Consultore dicitur «persequendam» loco «acquirendam» in textu actualis can. 8.

Quoad textum can. 9 variae proponuntur quaestiones, nempe:

1) Utrum in § 2 dicendum sit necne « liturgiam horarum celebrandi » loco « horas canonicas recitandi ». Magis placet ut dicatur « horas canonicas persolvendi », quia hic agitur de obligatione iuridica etiam privatim adimplenda, dum « celebratio » requirit semper aliquam solemnitatem publicam;

2) Utrum in § 2 manere debeat necne verbum « cotidie » quoad Sacrificii Eucharistici celebrationem. Omnibus placet ut servetur norma uti est, attento Decreto « Presbyterorum ordinis » Concilii Oecumenici Vaticani II, ubi docetur: « In mysterio Sacrificii Eucharistici, in quo munus suum praecipuum sacerdotes adimplent, opus nostrae redēptionis continuo exercetur, et ideo enīe commendatur eius celebratio cotidiana, quae quidem etiam si praesentia fidelium haberi non possit, actus est Christi et Ecclesiae » (n. 13).

3) Utrum in § 3 manere debeat necne verbum « frequenter » quoad Sacramentum Poenitentiae, aut aptius dicendum sit « regulariter ». Magis placet ut servetur verbum « frequenter », quia etiam in Decreto *Presbyterorum Ordinis* n. 18, sermo fit de « frequenti Poenitentiae Sacramentalis actu ».

His omnibus attentis sequens formula canonis a Rev.mo Secretario Ad. proponitur, p̄ae oculis etiam habitis distinctionibus faciendis pro diaconis:

« Clerici, quippe qui Deo novo titulo consecrati cum sint, in vita sua ducenda ad perfectionem persequendam peculiari ratione teneantur, imprimis ministerii sui pastoralis officia conscientie et fideliter adimpleant, dupli- ci mensa Sacrae Scripturae et Eucharistiae vitam suam spiritualem nutriant, atque aliis mediis sanctificationis utantur communibus et particula- ribus, iuxta normas quae sequuntur:

1) Sacerdotes obligatione tenentur cotidie horas canonicas persolvendi secundum proprios et probatos liturgicos libros: iidem pariter tenentur ad vacandum recessibus spiritualibus, iuxta iuris particularis praescripta.

2) Enīe invitantur sacerdotes ut cotidie Sacrifacium Eucharisticum li- tent; diaconi vero ut in eo offerendo cotidie participant.

3) Omnibus clericis commendatur ut cotidie lectioni Sacrae Scripturae atque orationi mentali per aliquod tempus incumbant, Sanctissimum Sa- cramentum visitent, Deiparam Virginem, praesertim mariano rosario, colant, atque conscientiam suam discutiant; ipsis item commendatur ut fre- quenter ad Poenitentiae sacramentum accendant».

*Can. 8 (prius can. 10: CIC 126)*

Quoad § 1 suggerit Rev.mus quartus Consultor ut dicatur:

« ...a maioribus traditam et *communiter* ab Ecclesia receptam ». Placet additio.

Rev.mi tertius, sextus et alii Consultores difficultatem movent contra verba «scientiae theologicae scriptores consultant, ut (...) respondeant». Prudentiae ratione melius esset si haec verba deleantur vel emendentur. Huic animadversioni accedit quoque Exc.mus nonus Consultor, qui in mentem adstantium revocat normam can. 129 hodierni CIC: «devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam».

His prae oculis habitis sequens textus emendatus § 1 a Rev.mo Secretario Ad. proponitur atque unanimiter probatur:

«Clerici studia sacra, recepto etiam sacerdotio, ne intermittent; et solidam illam doctrinam, in Sancta Scriptura fundatam, a maioribus traditam et communiter ab Ecclesia receptam sectentur, ut documentis Conciliorum ac praesertim Romanorum Pontificum determinantur, devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam».

In § 2 placet, proponente Rev.mo Secretario Ad. ut haec fiat ordinis mutatio: «...ad pleniorum scientiarum sacrarum et methodorum pastoralium cognitionem acquirendam».

Ad mentem denique Exc.morum primi et septimi Consultorum, ultima verba § 3 ita emendantur: «...prosequantur, quatenus praecipue ad ministerium pastorale exercendum conferat». Finis enim huiusmodi cognitionis non est ad colloquium instaurandum, sed ad ministerium sacerdotiale perficiendum.

#### *Can. 9 (prius can. 11: CIC 132-133)*

Attento Motu pr. *Ministeria quaedam*, n. I, deletur § 3 huius canonis, quia ingressus in statum clericalem nunc cum Diaconatu coniungitur.

In § 1 expunguntur verba «recepto diaconatus ordine», quia uti notat Rev.mus Secretarius Ad. non videntur necessaria.

Ad § 2 proponit Rev.mus quartus Consultor ut haec fiat additio in fine paragraphi: «qui tamen et ipsi, amissa uxore, ad coelibatum servandum tenentur». Haec enim est norma quae datur in Motu pr. *Ad pascendum*, n. VI. Propositio ab omnibus probatur.

#### *Can. 10 (prius can. 12: CIC 133)*

Omnibus Consultoribus placet ut haec norma quoad substantiam servetur, quia videtur quidem necessaria non tantum ad vitanda scandala sed etiam ad continentiam debite custodiendam et ad totam vitam spiritualem fovendam.

Ad mentem quorundam Consultorum sermo fieri debet de

«personis» quorum frequentatio obligationem servandi continentiam in discrimen vocare possit. Praeterea norma statuenda videtur qua fundatum iuridicum singulis Episcopis praebeatur ad valide vigilandum et agendum hac in re.

His omnibus attentis, Rev.mus Secretarius Ad. sequentem novam formulam canonis proponit, quae omnibus placet:

«§ 1. Debita cum prudentia clerici se gerant cum personis quarum frequentatio suam obligationem ad continentiam servandam in discrimen vocare aut in fidelium scandalum cedere possit.

§ 2. Competit Episcopo dioecesano ut hac de re, auditio Consilio presbyterali, normas statuat magis determinatas utque de servanda hac obligatione in casibus particularibus iudicium ferat».

*Can. 11* (prius can. 13: CIC 134)

Proponente Rev.mo Secretario Ad. placet ut dicatur «iuvamine fraterno *gaudent*» loco «iuvamen fraternum inveniant».

*Can. 12* (prius can. 14: CIC 136)

Placet ut servetur textus sicuti est, dempto in initio verbo «omnes» quia non videtur necessarium.

*Can. 13* (prius can. 15: novus)

Proponentibus Rev.mis Secretario Ad. et tertio Consultore, ita emendatur textus § 2: «Bona quae occasione exercitii ecclesiastici officii sibi *obveniunt quaeque*, provisa sua ex eis honesta sustentatione et *omniumque* officiorum proprii status adimpletione *supersunt*, ad bonum Ecclesiae...».

*Can. 14* (prius can. 16: CIC 138)

Simplicitatis causa probatur, proponente Rev.mo Secretario Ad. ut textus ita redigatur:

«Clerici ab omnibus iis quae statum suum dedecent prorsus abstinent, *iuxta iuris particularis praescripta*».

*Can. 15* (prius can. 17: CIC 139)

Ad § 2, notant Rev.mi tertius et sextus Consultores quaestionem ampliorem esse quam memoratam participationem in exercitio laicalis iurisdictionis; sunt enim multa officia et activitates quae exercitium huius

potestatis non secumferunt, et tamen dedecent condicionem sacri ministri.

Huic animadversioni alii accedunt Consultores, quare Rev. mus Secretarius Ad. hanc proponit textus emendationem, quae omnibus placet:

«*Officia publica, ea praesertim* quae participationem in exercitio laicalis *potestatis* secumferunt, ne assument...».

Ad paragraphos 1, 3 et 4 nulla fit animadversio. In § 2 tamen adhibetur, in fine, verbum «potestatem», loco «iurisdictionem».

*Can. 16* (prius can. 18: CIC 140)

Ponitur quaestio de utilitate § 1 huius canonis, quia nunc celerici solummodo sunt post receptum diaconatum, in aetate nempe in qua servitium militare ima ex regula peractum est. Sermo ergo fieri etiam debet de candidatis ad sacros ordines (Exc.mus nonus Consultor).

Post parvam disceptionem, haec formula emendata recipitur:

«*Cum servitium militare statui clericali minus* congruat, clerici militiam ne capessant voluntarii, nisi, cum sui Ordinarii licentia (...); iidem *itemque candidati ad sacros ordines* exemptionibus a servitio militari...».

In § 2, lin. 2 placet ut dicatur «gaudent» loco «gaudere debent»: incipiat textus verbis «Clerici, qui *quidem* sicut...».

*Can. 17* (prius can. 19: CIC 141)

Omnibus placet ut in par. 2 quaedam addantur de consociationibus syndicalibus, quare ita completur textus proponente Rev.mo Secretario Ad. «Neque activam in factionibus politicis *atque in regendis consociationibus syndicalibus* partem habeant...».

*Can. 18* (prius can. 20: CIC 142)

Nulla fit animadversio. Manet sicuti est.

*Can. 19* (prius can. 21: CIC 143)

Nulla animadversio fit. Textus manet uti iacet.

*Can. 20* (prius can. 22: CIC 127)

Proponente Rev.mo sexto Consultore, textus ita emendatur: «Clerici (...) speciali obligatione...».

*Can. 21* (prius can. 23, novus)

Proponente Rev.mo Secretario Ad. delentur verba « atque foveant ».

*Can. 22* (prius can. 24: CIC 128)

Textus manet uti est.

*Can. 23* (prius can. 25, novus)

Textus manet uti est.

*Can. 24* (prius can. 26, novus)

Textus quoque manet uti iacet, quia nulla proponitur emendatio.

Ita expleta recognitione canonum de obligationibus et iuribus clericorum, quaestio ponitur de ordine systematico. Parva fit disceptatio, cuius in fine probatur ut Rev.mus Secretarius. Ad. novum proponat ordinem canonum in proxima Coetus sessione examinandum. Ordo vero sit ratione dignitatis materiae: ex.gr.; de vita spirituali, de iure ad officium ecclesiasticum obtainendum, de vita intellectuali, etc.

Cum nulla alia quaestio pertractanda sit, preces de more dicuntur et finis imponitur huic XIIae sessioni Coetus studii « De Sacra Hierarchia ».

Rome, die 16 decembris 1972.

I. HERRANZ  
*Actuarius*

### **Adnexus I**

#### **DE SYNODO DIOECESANA**

*Can. 1* (CIC 356 § 1)

Synodus dioecesana est coetus in quo conveniunt aliqui ex Ecclesiae particularis presbyterio delecti necnon et eiusdem quidam alii christifideles, qui in bonum totius communitatis dioecesanae adiutricem praestent operam proprio eiusdem Ecclesiae pastori, Episcopo dioecesano, et ad quam pertinet de iis quae ad propriam missionem propriasque utilitates eiusdem Ecclesiae particularis referuntur agere causis, ad normam canonum qui sequuntur.

*Can. 2 (CIC 356 §§ 1 et 2)*

§ 1. Synodus dioecesana in singulis Ecclesiis particularibus celebretur decimo saltem quoque anno; si tamen, iudicio Episcopi dioecesani, adiuncta id suadeant, eius celebratio differri potest, non vero ultra viginti ab anteacta celebratione annos.

§ 2. Si Episcopus plurium dioecesium aequo principaliter unitarum curam habet aut unius curam habet uti Episcopus proprius, alterius vero uti administrator, unam tantum Synodum dioecesanam ex omnibus dioecesibus sibi commissis convocare potest.

*Can. 3 (CIC 357)*

§ 1. Synodum dioecesanam convocat solus Episcopus dioecesanus non autem qui ad interim dioecesi praesunt, administrator apostolicus aut administrator dioecesanus de quibus in can. ... (de sede vacante).

§ 2. Synodo dioecesanae praest Episcopus dioecesanus, non vero, sine speciali mandato, Vicarius generalis nec Vicarius episcopal.

*Can. 4 (CIC 358)*

§ 1. Ad Synodum dioecesanam vocandi sunt eamque participandi obligatione tenentur:

1° Vicarii generales et Vicarii episcopales;

2° Canonici Ecclesiae cathedralis;

3° membra Consilii presbyteralis;

4° delegati Consilii pastoralis, ab eodem Consilio eligendi, modo et numero ab Episcopo dioecesano determinandis, aut, ubi hoc Consilium non exstet, aliqui christifideles designandi ratione ab eodem Episcopo determinata;

5° Rector Seminarii dioecesani maioris;

6° Vicarii foranei;

7° unus saltem presbyter ex unoquoque Vicariatu foraneo eligendus ab omnibus qui curam animarum inibi habeant; item eligendus est alius presbyter qui, eodem impedito, eius locum sufficiat;

8° aliqui Moderatores Institutorum perfectionis, sive virorum sive mulierum, quae in dioecesi domum habent, eligendi numero et modo ab Episcoporum Conferentia aut ab Episcopo dioecesano determinatis.

§ 2. Ad Synodum dioecesanam ab Episcopo dioecesano vocari possunt alii quoque, sive clerici sive Institutorum perfectionis membra, sive christi-

fideles laici, viri aut mulieres; quibus, perinde ac iis de quibus in § 1, ius suffragii consultivi in omnibus causis competit, nisi Episcopus in invitacione aliud expresse caverit.

§ 3. Ad Synodum dioecesanam ab Episcopo dioecesano, si id opportunum duxerit, invitari possunt uti observatores aliqui ministri aut sodales Ecclesiarum Communictatumve ecclesialium quae in plena non sunt cum Ecclesia catholica communione.

*Can. 5 (CIC 359)*

Qui Synodo interesse debet, si legitimo detineatur impedimento, non potest mittere procuratorem qui eius nomine eidem intersit; Episcopum vero dioecesanum de eodem impedimento certiore faciat.

*Can. 6 (CIC 360)*

§ 1. Episcopus dioecesanus, opportunamente ante Synodi celebrationem tempore, unam aut plures constitutae commissiones, quarum est res in Synodo tractandas apparare; quae commissiones constare possunt clericis necnon laicis peritis.

§ 2. Curet Episcopus dioecesanus ut, tempore ante Synodi celebrationem opportuno, omnibus qui convocati sunt quaestionum tractandarum schema tradatur.

*Can. 7 (CIC 361)*

Propositae quaestiones omnes liberae adstantium disceptationi, praesidente quidem per se aut per alium Episcopo dioecesano, in Synodi sessionibus subiiciantur.

*Can. 8 (CIC 362)*

Unus in Synodo dioecesana legislator est Episcopus dioecesanus, aliis voto tantummodo consultivo gaudentibus; unus ipse synodalibus declarationibus et decretis subscribit.

*Can. 9 (CIC 362)*

Quae modo in Synodo dioecesana determinato promulgantur decreta, eo ipso obligare incipiunt, nisi aliud expresse caveatur.

*Can. 10 (novus)*

Episcopus dioecesanus textus declarationum ac decretorum synodaliū quamprimum communicet cum Apostolica Sede; de iisdem praeterea Metropolitam necnon Episcoporum Conferentiam regionis certiorem reddat.

*Can. 11 (novus)*

§ 1. Episcopo dioecesano competit pro suo prudenti iudicio Synodus dioecesanam suspendere necnon dissolvere.

§ 2. Vacante sede episcopali, Synodus dioecesana ipso iure intermittitur, donec Episcopus dioecesanus qui succedit ipsam continuari decreverit aut eamdem extinctam declaraverit.

**Adnexum II****DE PATRIARCHIS, PRIMATIBUS ET METROPOLITIS***Can. 1 (CIC 271)*

Patriarchae et Primatis titulus, praeter praerogativam honoris, nullam in Ecclesia latina secumfert regiminis potestatem, nisi quaedam iure particulari cum aliquo connexa sit.

*Can. 2 (CIC 272)*

Provinciae ecclesiasticae praeest Metropolita, qui est archieписcopus dioecesis cui praeſicitur; quod officium cum sede episcopali, Romano Pontifice determinante aut probante, coniunctum est.

*Can. 3 (CIC 274)*

§ 1. In dioecesibus suffraganeis Metropolitae competit:

1° vigilare ut fides et disciplina ecclesiastica accurate serventur, et de abusibus, si qui habeantur, Romanum Pontificem certiores facere;

2° canonicam visitationem peragere, causa prius ab Apostolica Sede probata, si eam Suffraganeus neglexerit;

3º eos qui ad normam iuris ad officia ecclesiastica praesentantur aut eliguntur instituere aut confirmare, si Suffraganeus intra tempus iure statutum, iusto impedimento non detentus, id facere omiserit;

4º deputare administratorem dioecesanum, ad normam can. 9, § 2 (de sede vacante; CIC 432, § 2);

5º appellationem recipere a sententiis definitivis aut interlocutoriis definitivarum vim habentibus, prolatis in curiis suffraganeis, ad normam can. 1594, § 1;

6º controversias de quibus in can. 1572, § 2, in prima instantia dirimere.

§ 2. Firmis praescriptis § 1, nulla in dioecesibus suffraganeis competit Metropolitae potestas regiminis; potest vero in omnibus ecclesiis, etiam exemptis, Episcopo dioecesano praemonito, si ecclesia sit cathedralis, sacras exercere functiones, uti Episcopus in propria dioecesi.

#### *Can. 4 (CIC 275)*

§ 1. Metropolita obligatione tenetur, intra tres menses a recepta consecratione episcopali, aut, si iam consecratus fuerit, a provisione canonica, per se aut per procuratorem a Romano Pontifice petendi pallium, quo quidem significatur potestas qua, in communione cum Ecclesia Romana, Metropolita in propria provincia iure instruitur.

§ 2. Ante pallii impositionem, excluso speciali indulto apostolico, Metropolita illicite ponit actus tum potestatis regiminis metropolitanae tum ordinis episcopalis, quos ut caput provinciae exercet.

#### *Can. 5 (CIC 277)*

Metropolita ad normam legum liturgicarum, pallio uti potest intra quamlibet ecclesiam, etiam exemptam, provinciae ecclesiasticae cui praeest, minime vero extra eandem, ne accidente quidem loci Ordinarii assensu.

#### *Can. 6 (CIC 278)*

Metropolita, si pallium amittat aut ad aliam sedem metropolitanam transferatur, novo indiget pallio.

**Adnexum III****DE SYNODO EPISCOPORUM***Can. 1*

Synodus Episcoporum, institutum quidem centrale, coetus est Episcoporum qui, ex diversis orbis regionibus selecti et omnium Ecclesiarum particularium sollicitudinem gerentes, arctius inter se atque cum Romano Pontifice coniuncti, statutis temporibus conveniunt ut eidem consiliis praetaliis adiutricem operam praestantes, incolumitati incrementoque fidei et morum provideant, disciplinae ecclesiasticae servandae et firmandae prospiciant, atque quaestiones ad actionem Ecclesiae in mundo spectantes perpendant.

*Can. 2*

Synodi Episcoporum est de quaestionibus pertractandis disceptare atque expromere optata, non vero easdem dirimere de iisque ferre decreta, nisi certis in casibus potestate deliberativa eandem instruxerit Romanus Pontifex atque quae ab eadem sunt admissa rata habuerit.

*Can. 3*

Synodus Episcoporum directe subest auctoritati Romani Pontificis, cuius quidem est:

1° Synodum convocare, quotiescumque id ipsi opportunum visum erit, locumque designare ubi coetus habendi sint;

2° Sodalium qui ad normam iuris peculiaris eligendi sunt electionem ratam habere aliosque sodales designare et nominare;

3° argumenta quaestionum pertractandarum, habita etiam Episcoporum observationum ratione, statuere opportuno ad normam iuris particularis ante Synodi celebrationem tempore;

4° rerum agendarum ordinem definire;

5° Synodo per se aut per alios praeesse;

6° Synodum ipsam concludere, transferre, suspendere et dissolvere.

*Can. 4*

Synodus Episcoporum congregari potest aut in coetum generalem, in quo scilicet res tractantur ad bonum Ecclesiae universae directe spectantes,

qui quidem coetus est sive ordinarius sive extraordinarius, aut etiam in coetum speciale, in quo nempe aguntur negotia quae directe ad determinatam determinatasve regiones attinent.

*Can. 5*

§ 1. Synodus Episcoporum quae in coetum generale ordinarium congregatur, constat sodalibus, quorum plerique sunt Episcopi, qui, singulis pro coetibus ab Episcoporum Conferentiis, ratione iuris peculiaris Synodum regentis determinata, eliguntur, alii vi eiusdem iuris deputantur, alii a Romano Pontifice directe nominantur; quibus accedunt aliqui sodales Institutorum perfectionis clericalium ad normam eiusdem iuris peculiaris electi.

§ 2. Synodus Episcoporum, ad tractanda quae expeditam requirunt definitionem negotia in coetum generale extraordinarium congregata, constat sodalibus quorum plerique Episcopi, officii quod adimplent ratione, iure peculiari Synodi regente deputantur, alii vero a Romano Pontifice directe nominantur; quibus accedunt alii sodales Institutorum perfectionis clericalium ad normam eiusdem iuris electi.

§ 3. Synodus Episcoporum quae in coetum speciale congregatur, constat sodalibus praecipue ex iis regionibus pro quibus convocata est delectis, ad normam iuris particularis quo Synodus regitur.

*Can. 6*

§ 1. Cum Synodi Episcoporum coetus a Romano Pontifice concludatur, absolutis nempe argumentis ad quae tractanda convocatus est, aut alia ratione ab eodem dissolvatur, explicit munus in eodem Episcopis aliisque sodalibus commissum.

§ 2. Sede Apostolica, post convocatam Synodum aut eius celebratione durante, vacante, ipso iure suspenditur Synodi coetus, itemque munus sodalibus in eodem commissum, donec novus Pontifex aut coetum dissolutum statuerit aut ipsum continuari decreverit aut novum coetum convocaverit.

*Can. 7*

§ 1. Synodi Episcoporum habetur Secretaria generalis permanens, cui praeest Secretarius generalis, a Romano Pontifice nominatus, cuique praesto est Consilium Secretariae, constans Episcopis, quorum alii, ad normam iuris peculiaris, ab ipsa Synodo Episcoporum eliguntur, alii aliqui a Roma-

no Pontifice nominantur, quorum vero omnium munus explicit cum novum Consilium in sequenti generali coetu constituitur.

§ 2. Pro quolibet Synodi Episcoporum coetu praeterea constituuntur unus aut plures secretarii speciales, qui a Romano Pontifice nominantur, qui autem in officio ipsis commisso tantum permanent usque ad expletum Synodi coetum.

#### Adnexum IV

#### DE CLERICORUM ADSCRIPTIONE SEU INCARDINATIONE DEQUE IURIBUS ET OBLIGATIONIBUS CLERICORUM

##### A) DE CLERICORUM ADSCRIPTIONE SEU INCARDINATIONE

(*Necessitas incardinationis, communitates quibus clericis incardinantur; cfr. can. 111 § 1; M. P. Ecclesiae Sanctae, n. 4)*

###### *Can. 1*

§ 1. Quemlibet clericum oportet esse adscriptum aut alicui Ecclesiae particulari aut Praelatura personali aut alicui religioni aut societati hac facultate ab Apostolica Sede donatae, ita ut clericis acephali seu vagi minime admittantur.

§ 2. nomine Ecclesiae particularis intelligitur dioecesis, cui aequiparantur praelatura et abbatia nullius, vicariatus et praefectura apostolica necnon administratio apostolica stabiliter erecta.

§ 3. Ecclesiae particulari in canonibus qui sequuntur, aequiparatur quoque Praelatura personalis cui quidem competit sibi incardinare clericos qui mittantur ad servitium sacrum praestandum in aliqua Ecclesia particulari cleri inopia laborante aut destinentur ad peculiares opera pastoralia vel missionalia perficienda pro variis regionibus aut coetibus socialibus, qui speciali indigent adiutorio.

(*Radix incardinationis: cfr. can. 111 § 2*)

###### *Can. 2*

§ 1. Per receptum diaconatum aliquis fit clericus et adscribitur Ecclesiae particulari pro cuius servitio promotus est.

§ 2. Item per receptum diaconatum religiosus qui vota perpetua emiserit et sodalis societatis qui promissiones perpetuas fecerit, adscribitur tanquam clericus religioni aut societati in qua promotus est.

(*Mutatio incardinationis formalis*: cfr. can. 112)

*Can. 3*

§ 1. Ut clericus alienae Ecclesiae particulari valide incardinetur, a suo Ordinario obtinere debet litteras ab eodem subscriptas excardinationis; et pariter ab Ordinario alienae Ecclesiae particularis litteras ab eodem subscriptas incardinationis.

§ 2. Excardinatio ita concessa effectum non sortitur nisi incardinatione obtenta in alia Ecclesia particulari.

(*Mutatio incardinationis automatica*: cfr. M.P. *Ecclesiae Sanctae*, n. 3 § 5; can. 115)

*Can. 4*

§ 1. Clericus qui a propria Ecclesia particulari in aliam legitime transmigraverit, huic Ecclesiae particulari, transacto quinquennio, ipso iure incardinatur, si talem voluntatem in scriptis manifestaverit tum Ordinario Ecclesiae hospitis tum Ordinario proprio, nec horum alteruter ipsi contraria scripto mentem intra quattuor menses significaverit.

§ 2. Etiam per professionem perpetuam in religione aut per promissiōnem perpetuam in societate facultate sibi clericos adscribendi gaudente, clericus a propria Ecclesia particulari excardinatur, et religioni aut societati adscribitur.

(*Emigratio in aliam Ecclesiam particularem, sine incardinatione*: cfr. M.P. *Ecclesiae Sanctae*, n. 33 §§ 1-4)

*Can. 5*

§ 1. Extra casum verae necessitatis propriae Ecclesiae particularis, Ordinarii ne denegent licentiam emigrandi clericis, quos paratos sciant atque aptos aestiment qui regiones petant gravi cleri inopia laborantes, ibidem sacrum ministerium peracturi; curent vero ut per conventionem scriptam cum Ordinario loci quem petunt iura et officia eorum clericorum stabiliantur.

§ 2. Curent Ordinarii ut clerici ita instituantur ut non tantum Ecclesiae particularis in cuius servitium incardinantur, sed universae Ecclesiae quoque sollicitudinem habeant, atque paratos se exhibeant qui Ecclesiis particularibus, quarum gravis urget necessitas sese devovent.

§ 3. Ordinarii licentiam ad aliam Ecclesiam particularem transmigrandi concedere possunt suis clericis, ad tempus praefinitum, etiam plures renovandum, ita tamen ut iidem clerici in propria Ecclesia particulari incardinati maneant, atque in eandem redeentes omnibus iuribus gaudeant, quae haberent si in ea sacro ministerio addicti fuissent.

§ 4. Curent iidem Ordinarii ut clerici a propria Ecclesia particulari ad Ecclesiam particularem alterius regionis transmigrare intendentes apte praeparentur ad ibidem sacrum ministerium exercendum, ut scilicet et linguae regionis scientiam acquirant, et eiusdem institutorum, condicionum socialium, usuum et consuetudinum intelligentiam habeant.

§ 5. Clericus qui legitime in aliam Ecclesiam particularem transierit, suae propriae Ecclesiae manens incardinatus, a proprio Episcopo aut Praelato iusta de causa revocari potest, dummodo serventur conventiones cum alio Episcopo initae atque requisita naturalis aequitatis.

Pariter, iisdem conditionibus servatis, Ordinarius alienae Ecclesiae particularis iusta de causa poterit eidem clero licentiam ulterioris commorationis in suo proprio territorio denegare.

(Nota) – §§ 2 et 4 huius canonis poterunt deinceps, si id expedire videatur, in alium locum novi Codicis transferri: ex. gr.: § 2 in locum ubi agatur de institutione sacerdotali; § 4: in locum ubi quaestio sit de Episcoporum obligationibus.

*(Causae ad licitam excardinationem: cfr. can. 116)*

#### *Can. 6*

Excardinatio licite concedi potest iustis tantum de causis, quales sunt Ecclesiae utilitates aut bonum ipsius clericci: denegari autem non potest nisi exstantibus gravioribus causis; licet tamen clero, qui se gravatum censuerit et Episcopum receptorem invenerit, contra decisionem denegantem recurrere, via sive administrativa sive iudiciaria.

(*Causae ad licitam incardinationem*: cfr. can. 117)

*Can. 7*

Ad incardinationem alieni clericci Ordinarius ne deveniat nisi:

1° necessitas aut utilitas suae Ecclesiae particularis id exigat, et salvis iuris praescriptis honestam sustentationem clericorum respicientibus;

2° ex legitimo documento sibi constiterit de concessa excardinatione, et habuerit praeterea ab Ordinario excardinante, sub secreto si opus sit, de clericci vita, moribus ac studiis opportuna testimonia;

3° clericus eidem Ordinario scripto declaraverit se novae Ecclesiae particularis servitio velle addici ad normam sacrorum canonum.

(*Quinam concedere possint excardinationem, atque licentiam transmigrandi*: cfr. can. 113).

*Can. 8*

Excardinationem et incardinationem, itemque licentiam ad aliam Ecclesiam particularem transmigrandi concedere nequent Vicarius Generalis vel Vicarius Episcopalis sine mandato speciali; nec Administrator dioecesanus, nisi post annum a vacatione sedis episcopal, et cum consensu Coetus consultorum de quo in can....

**Adnexum V**

**B) DE CLERICORUM OBLIGATIONIBUS ET IURIBUS**

(*De clericorum destinatione ad ministeria sacra*: cfr. can. 118)

*Can. 1 (CIC 118)*

Soli clericci obtinere possunt officia ad quorum exercitium requiritur potestas ordinis aut potestas regiminis ecclesiastici ordine sacro innixa.

*Can. 2 (novus)*

Clerici, utpote Episcopi cooperatores, verificatis conditionibus iure requisitis, ius habent ad obtinendum officium ecclesiasticum.

*Can. 3 (novus)*

Curent Ordinarii ut clericis praebatur tempus necessarium ut frui valent mediis ad vitam supernaturalem fovendam aptis utque vacare possint studiis scientiarum, praesertim sacrarum, quatenus ad ministerium suum debite adimplendum requiratur.

*Can. 4 (novus)*

Ius est clericis sese consociandi cum aliis ad vitam spiritualem foven-  
dam vel ad alios fines honestos statui clericali congruentes consequendos.

*Can. 5 (novus)*

Clericis competit ut debito et sufficienti quotannis gaudeant feriarum tempore, iure particulari determinando.

*Can. 6 (novus)*

§ 1. Clerici cum ministerio ecclesiastico se dedicent, remunerationem suaे conditioni congruam recipere debent, ratione habita tum ipsius munieris naturae tum locorum temporumque conditionum, quoque possint necessitatibus vitae suaे et illorum qui servitio suo se dedicant providere atque etiam indigentibus per se ipsos aliqua ratione subvenire.

§ 2. Item providendum est eorum congruenti praecaventiae et adsi-  
stentiae sanitariae, atque prospiciendum suaे sustentationi, si infirmitate,  
invaliditate aut senectute laborant.

§ 3. Diaconi uxorati qui plene ministerio ecclesiastico sese devovent re-  
munerationem recipient qua sui suaque familiae sustentationi providere  
valeant; qui vero professionem exercent civilem ex perceptis inde fructibus  
sibi suaque familiae necessitatibus, quantum fieri possit, consulant.

(*De vita spirituali*: cfr. cann. 124-126)

*Can. 7*

Clerici, quippe qui Deo noto titulo consecrati cum sint, in vita sua ducen-  
da ad perfectionem persequendam peculiari ratione teneantur, imprimis  
ministerii sui pastoralis officia conscientie et fideliter adimpleant, dupli-  
cata Sacrae Scripturae et Eucharistiae vitam suam spiritualem nutriant, atque  
aliis mediis sanctificationis utantur communibus et particularibus, iuxta  
normas quae sequuntur:

1º Sacerdotes obligatione tenentur cotidie horas canonicas persolvendi secundum proprios et probatos liturgicos libros. Idem pariter tenentur ad vacandum recessibus spiritualibus, iuxta iuris particularis praescripta.

2º Enixe invitantur sacerdotes ut cotidie Sacrificium Eucharisticum littent, diaconi vero ut in eo offerendo cotidie participant.

3º Omnibus clericis commendatur ut cotidie lectioni Sacrae Scripturae atque orationi mentali per aliquod tempus incumbant, Sanctissimum Sacramentum visitent, Deiparam Virginem, praesertim mariano rosario, collant, atque conscientiam suam discutiant; ipsis item commendatur ut frequenter ad Poenitentiae sacramentum accedant.

(*De vita intellectuali* cfr. cann. 129-131)

*Can. 8 (CIC 126)*

§ 1. Clerici studia sacra, recepto etiam sacerdotio, ne intermittant; et solidam illam doctrinam, in Sancta Scriptura fundatam, a maioribus traditam et communiter ab Ecclesia receptam sectentur, ut documentis Conciliorum ac praesertim Romanorum Pontificum determinantur, devitantes profanas vocationes et falsi nominis scientiam.

§ 2. Sacerdotes, iuxta iuris particularis praescripta, preelectiones pastorales statim post ordinationem sacerdotalem instituendas frequentent, atque statutis ab eodem iure temporibus aliis quoque intersint preelectionibus, conventibus theologicis aut conferentiis, quibus ipsis praebatur occasio ad pleniorem scientiarum sacrarum et methodorum pastoralium cognitionem acquirendam.

§ 3. Profanarum quoque scientiarum, earum praesertim quae cum sacris connectuntur, cognitionem prosequantur, quatenus praecipue ad ministerium pastorale exercendum conferat.

(*De coelibatu servando:* cfr. cann. 132-133)

*Can. 9 (novus)*

§ 1. Clerici obligatione tenentur servandi perfectam perpetuamque propter Regnum coelorum continentiam ideoque ad coelibatum adstringuntur.

§ 2. Praescripto § 1 non tenentur viri maturioris aetatis in matrimonio viventes qui, iuxta decreta competentis Episcoporum Conferentiae a Sum-

mo Pontifice adprobata, ad diaconatum stabilem promoventur; qui tamen et ipsi, amissa uxore, ad coelibatum servandum tenentur.

*Can. 10 (CIC 133)*

§ 1. Debita cum prudentia clerici se gerant cum personis quarum frequentatio suam obligationem ad continentiam servandam in discrimen vocare aut in fidelium scandalum cedere possit.

§ 2. Competit Episcopo diocesano ut hac de re, auditio Consilio presbyterali, normas statuat magis determinatas utque de servanda hac obligatione in casibus particularibus iudicium ferat.

(*De vita communii*: cfr. can. 134)

*Can. 11 (CIC 134)*

Ut in officiis ministerii implendis aptius cooperari valeant utque in vita spirituali et intellectuali colenda magis iuvamine fraterno gaudent, clericis valde commendatur quoddam vitae consortium, immo et vitae communis consuetudo; quae quidem, ubi viget, quantum fieri possit, servanda est.

(*De habitu ecclesiastico*: cfr. can. 136)

*Can. 12 (CIC 136)*

Clerici decentem habitum ecclesiasticum, iuxta normas ab Episcoporum Conferentiis editas atque legitimas locorum consuetudines, deferant.

(*De recto usu bonorum*)

*Can. 13 (novus)*

§ 1. Spiritu paupertatis ducti, vitae simplicitatem colant et ab omnibus quae vanitatem sapiunt se abstineant.

§ 2. Bona quae occasione exercitii ecclesiastici officii sibi obveniunt quaeque, provisa sua ex eis honesta sustentatione et omniumque officiorum proprii status adimptione supersunt, ad bonum Ecclesiae opera que caritatis destinent. Caveant ne officium ecclesiasticum quaestui umquam habeant neve redditus ex eodem provenientes in propriae rei familiaris amplificationem impendant.

(*De iis a quibus abstinere debent*: cfr. cann. 137-142)

*Can. 14* (CIC 138)

Clerici ab omnibus iis quae statum suum dedecent prorsus abstineant, iuxta iuris particularis praescripta.

*Can. 15* (CIC 139)

§ 1. Ea etiam quae, licet non indecora, a clericali tamen statu aliena sunt, vitent.

§ 2. Officia publica, ea praesertim quae participationem in exercitio laicalis potestatis secumferunt, ne assumant, Episcopi sine licentia Sanctae Sedis, nec alii clerci nisi obtenta, in locis ubi intercesserit prohibitio pontificia, licentia eiusdem Sanctae Sedis, in aliis vero locis licentia tum Ordinarii proprii, tum Ordinarii loci in quo potestatem administrationemve exercere intendunt.

§ 3. Sine licentia sui Ordinarii, ne ineant gestiones bonorum ad laicos pertinentium aut officia saecularia, quae secumferunt onus reddendarum rationum; a fideiubendo, etiam de bonis propriis, inconsulto loci Ordinario, prohibentur; item a subscribendis syngraphis, quibus nempe obligatio solvendae pecuniae, nulla definita causa, suscipitur, abstineant.

§ 4. Sine licentia sui Ordinarii, neminen coram tribunali laicali trahant; in laicali iudicio criminali nullam habeant partem, ne testimonium quidem sine necessitate ferentes.

*Can. 16* (CIC 140)

§ 1. Cum servitium militare statui clericali minus congruat, clerci militiam ne capessant voluntarii, nisi, cum sui Ordinarii licentia; iidem itemque candidati ad sacros ordines exemptionibus a servitio militari utantur quas in eorum favorem concedunt leges civiles propriae Nationis conventionesque eandem inter et auctoritatem ecclesiasticam competentem initae, nisi in casibus particularibus Ordinarii aliter decernendum censuerint.

§ 2. Clerici, qui quidem sicut ceteri cives iuribus politicis et civilibus gaudent, similiter, nisi in casibus particularibus aliter decreverit Ordinarius proprius, utantur exemptionibus quas ab exercendis muneribus et publicis civilibus officiis a statu clericali alienis in eorum favorem concedunt eadem leges aut conventiones.

*Can. 17 (CIC 141)*

§ 1. Clerici pacem et concordiam inter homines servandam quam maxime semper foveant, in intestinis bellis et ordinis publici perturbationibus nulla ratione partem habeant.

§ 2. Neque activam in factionibus politicis atque in regendis consociationibus syndicalibus partem habeant, nisi iudicio competentis, ad normam. can. 139 § 2, auctoritatis ecclesiasticae, Ecclesiae utilitas aut bonum commune id requirat.

*Can. 18 (CIC 142)*

Prohibentur clerici per se vel per alios, sive in propriam sive in aliorum utilitatem, negotiationem aut mercaturam exercere, nisi de licentia legitimae acutoritatis ecclesiasticae.

(*De obligatione residentiae*: cfr. can. 143)

*Can. 19 (CIC 143)*

Clerici, licet officium residential non habeant, a sua tamen dioecesi per notabile tempus, iure particulari determinandum, sine licentia saltem praesunta Ordinarii proprii, ne discedant.

(*De oboedientia*: cfr. can. 127)

*Can. 20 (CIC 127)*

Clerici speciali obligatione tenentur Summo Pontifici et suo quisque Ordinario reverentiam et oboedientiam exhibendi.

(*De relationibus cum fidelibus laicis*)

*Can. 21 (novus)*

Clerici, praesertim sacerdotes, agnoscant eam quam pro parte sua missionem laici in Ecclesia et in mundo exercent.

(*De munere pastorali fideliter adimplendo*: cfr. can. 128)

*Can. 22 (CIC 128)*

Clerici, nisi legitimo impedimento excusentur, munus quod ipsis a suo Ordinario commissum fuerit suscipere ac fideliter adimplere tenentur.

*Can. 23 (novus)*

Clerici, quippe qui omnes ad unum conspirent opus, ad aedificatiōnem nempe Corporis Christi, quae multiplicia officia requirit, vinculo fraternitatis et orationis inter se uniti sint, et cooperationem inter se prosequantur, iuxta iuris particularis praescripta.

*(De cura vocationum)*

*Can. 24 (novus)*

Clerici, praesertim sacerdotes, solliciti sint vocationum sacerdotalium ac religiosarum, atque quos, sive iuvenes sive adultos, ad ministerium divinum idoneos iudicaverint, necessaria prudentia adhibita, adiuvent ut ad illud rite se praeparent.

